

VERSION LATINE

La vieillesse d'un sage

Dans cette lettre, Pline le Jeune raconte son récent séjour chez son ami Spurinna.

Nescio an ullum iucundius tempus exegerim quam quo nuper apud Spurinnam fui, adeo quidem ut neminem magis in senectute, si modo senescere datum est, aemulari uelim ; nihil est enim illo uitae genere distinctius. Me autem ut certus siderum cursus, ita uita hominum disposita delectat, senum praesertim. Nam iuuenes confusa adhuc quaedam et quasi turbata non indecent, senibus placida omnia et ordinata conueniunt, quibus industria sera, turpis ambitio est. Hanc regulam Spurinna constantissime seruat ; quin etiam parua haec – parua, si non cotidie fiant – ordine quodam et uelut orbe circumagit. Mane lectulo continetur, hora secunda calceos poscit, ambulat milia passuum tria nec minus animum quam corpus exercet. Si adsunt amici, honestissimi sermones explicantur ; si non, liber legitur, interdum etiam praesentibus amicis, si tamen illi non grauantur. Deinde considit et liber rursus aut sermo, libro potior ; mox uehiculum ascendit, adsumit uxorem singularis exempli uel aliquem amicorum, ut me proxime. Quam pulchrum illud, quam dulce secretum ! Quantum ibi antiquitatis ! Quae facta, quos uiros audias ! Quibus praeceptis imbuare ! Quamuis ille hoc temperamentum modestiae suae indixerit, ne praecipere uideatur. Peractis septem milibus passuum iterum ambulat mille, iterum residit uel se cubiculo ac stilo reddit. Scribit enim et quidem utraque lingua lyrica doctissime ; mira illis dulcedo, mira suauitas, mira hilaritas, cuius gratiam cumulat sanctitas scribentis.

Pline le Jeune